



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

In Ascensionis D. N. Iesu Christi solennitate Paraphrasis Lectionis Actuum
Apostolorum I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

homines incompósitos ac improbos fugiamus, familiaritatem quorumlibet immodicam declinemus, sensibus semper inuigilemus, neque temporis, neque verborum plus satis cuiquam impendamus, nosipfos vbiq̄ & semper studiosè obseruemus, sub Deo cunctisq̄ mortalibus nosipfos comprimere ac demittere discamus, de cunctis fratribus ac proximis non nisi bene loquamur, nosipfos habeamus despectui, Deo iucundis animis seruiamus, proximis bona præbeamus exempla, peccata omnia & magna & parua vitemus, Deum in omnibus pro scopo habeamus, atque totum tempus cum Deo transigamus. Hisce studijs dignè & aptè efficiemur, qui faciem Patris nostri videamus in cælis, cui est omnis honor in secula seculorum, Amen.

DE FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS
require infra in festo Exaltationis eiusdem.

IN SOLENNITATE ASCENSIONIS DOMINI
nostri Iesu Christi, Lectio Actuum Apostolorum. Cap. I.

Rimum quidem sermonem feci de omnibus, d̄ Theophile, que cepit Iesus facere, & docere, vsque in diem qua præcipiens Apostolis, per Spiritum sanctum quos elegit, assumptus est. Quibus & præbuit seipsum viuum post passionem suam, in multis argumentis per dies quadraginta apprensus eis. & loquens de regno Dei. Et conuescens, præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederent: sed expectarent promissionem Patris: quam audistis, inquit, per os meum. Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, que Pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem superuentis Spiritus sancti in vos: & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad ultimum terra. Et quum hac dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumq̄ intuerentur in caelum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in caelum? Hic Iesus qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum.

PARAPHRASIS IN EANDEM LECTIONEM.

Ascensionem Domini Saluatoris Lucas Euangelista graphicè describit, Luca 24 connectens videlicet historiam Actuum Apostolorum cum Euangelio suo, in cuius calce iam nonnihil eadem de re posuerat: sed in Actis diligentius prosequitur. Ait enim: Primum quidem sermonem, nempe in Euangelio meo, feci de omnibus, id est, præcipuis quibusdam, vel saltem

yy mul-

In eos qui
in eorum di-
dicerint do-
cere alios
presumunt.
Roman. 9.

In arrogantes
& serolos qui
alios docere
gestiunt.

Psal. 49.

Ibidem.

Luc. 9.

Marc. 16.

Psal. 10.
Luc. 24

Act. 1.

Math. 28.

Marc. 16.

Luc. 24.

Ioan. 14.

Ibidem.

multis d Theophile, quæ cepit Iesus facere & docere: non quidem docem
primum, deinde facere, quod solent scioli quidam ac impudentes, qui pro-
us docendi sibi auctoritatem sumunt, quam ipsi bene didicerint, nec erubescunt,
vitam agere improbam ac flagitiosam, cum tamen alios ipsi reprehendunt,
quibus Paulus dicit: Qui autem doces, teipsum non doces? quod in
ritum partim iactantia & ostentationis, partim intolerantia impudenter est.
Non sic Dei sapientia Christus Iesus fecit: sed primum cepit facere, deinde
docere. Et tamē nemo iustus alios docuisset. At qui vsq; ad annum trigentesimo
ætatæ suæ penitus siluit, & exemplo suo docebat, quod post verbo doctura
erat. O superbiam nostram, o arrogantiam, qui cum bonis omnibus pen-
vacui simus, imo saepe etiā omni vitiorū spurcitie polluti simus & cetera
nati, tamē propuli sumus ad docēdos, obiurgādos & castigādos alios, qui
vel tenuiter ab alijs reprehendimur, nullo pacto ferre valeamus. Qui vni
attenderemus, quod Psalmista ait: Peccatori autem dixit Deus: Quare tu uerum
iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu uero edisti discipulos
& protulisti sermones meos retrorsum, quodq; post subdit: Existimasti iniquus
ero tui similis: arguam te & statuam contra faciem tuam: cum uidelicet, quando
dicturus est illis qui alios docent, & ipsi improbe agunt: Ex ore tuo te iustus
serue nequam. Qui enim iustitiā ore premunt & factis impugnant, suo ipso
iudicio suoq; ore condemnabuntur. Ait igitur S. Lucas ea se scripsisse,
quæ cepit Iesus facere & docere, vsque in diem, qua præcipiens Apollolos
per Spiritum sanctum quos elegit, assumptus est, & ad caelos ascendit, non
angelicis aut vilius creaturæ subuectis manibus, sed virtute propria, sicut he-
gē ante S. Dauid uaticinatus erat, dicens: Ex altare Domine in uirtute tua. Præ-
cepit autem Apollolis eadem ascensionis die, ut in totum mundum Euro-
geli gratiam diuulgarent, docerentq; gentes omnes relictis demoniū timore
lactis unū uerum Deum iuste ac piē uenerari. Isdemq; Apollolis præcepit
seipsum uiuum post passionē suam, uidentium, audiendum, contrectandum
in multis argumentis multisq; signis sensibilibus per dies quadraginta ap-
parens eis, & loquens de regno Dei tam præsentis Ecclesiæ militantis, quam
superne triumphantis. Ex quibus summa apparet nostri redemptoris ho-
nigritas & humilitas, quod etiam post perfectam corporis & animæ glori-
ficationem ac immortalitatem, post plenissimam in caelis ac terra datā
potestatem non minus ut ante sese pauperculis ac rudibus discipulis affabi-
lem, piū, familiarem exhibuerit: idq; adeo ut etiam manducare cum eis
non fuerit dedignatus. Illis omnibus nihil aliud spectans, nisi ut tum illo-
rum, tum nostris animos ad fidem instrueret atque cōfirmaret, omni pro-
sus ambiguitate ac infidelitate exclusa. Et conuiescens eis ipso ascensionis die,
præcepit ab Hierosolymis ne discederent, neq; trepidationis, neq; practica-
tionis gratia: sed expectarent promissionem Patris, & gratiam superuen-
turi in ipsos Spiritus sancti, quam audistis, inquit, per os meum. Dixit
enim eis: Et ego rogabo Patrem, & alium par acleuium dabit uobis, ut maneat uoscum
in æternum. Et ille docebit uos omnia, & suggeret uobis omnia quaecumque dixero uobis.
Quia Ioannes Baptista quidem baptizauit aqua, typum quēdam ueritatis
piscini, quo diluuntur peccata, præferens, non autē animas à peccatis emen-
dans: uos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos. hos dicit
idē

id est, intra paucos dies. Sed cum ipsi discipuli alios baptizarint ante Domini necem Evangelice legis baptismo, quo gratia conferretur, ambigendum non est, quin & ipsi eodem fuerint expiati. Cur igitur hic dicuntur rursus baptizandi Spiritu sancto? Nimirum propter copiosam & exuberantem sancti Spiritus infusionem, quam in Pētecoste percepturi erāt. Vt enim sancti Spiritus illustrationem scriptura diuina vnctiōnem appellat: ita eius copiosam susceptionem mentis baptismationem vocat. Igitur qui conuenerant, interrogabant eum iam iamque ascensurum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Ecce quanta fuit discipulorum simplicitas & ruditas, qui posteaquam tam diu adhæserant Saluatori, vix tamen adhuc spiritum sapiebant. Tam multa audierant de futuro sempiternæ beatitudinis regno, & adhuc de carnali Israelitico regno seisciscitantur. Reuera nihil est, vnde superbiat terra & cinis, quando etiam Apostoli sub ipsius Christi magisterio tam rudes permanserunt. Dixit autem eis non sine castigatione cecitatis eorum: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Regnum Israeliticum quando sit restituendum spiritaliter, quod in extremo fiet die, non est vestrum nosse. Facessat curiositas, & pietas succedat. Quid ad vos pertinet temporalis regni restitutio qui ad æternum regnum vocati estis? Sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, dona sua vobis impertiētis, vosq; sua virtute corroborantis: & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Quibus verbis hereticorum latibula condegnantur, qui ferè semper angulos petunt, & certis finibus vel locis sua spergunt venenata dogmata, Christus autem vbiq; terrarum veritatis Evangelicæ lucem diffudit. Et cum hæc & alia quædam dixisset, quæ apud Marcum leguntur, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorū, summo cum desiderio & ineffabili exultatione eum aspectantium, & cordibus prosequentium vsque in cælum. Cumq; intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri, hoc est, angeli sancti sub humana effigie, astiterunt repente iuxta illos in vestibus albis, angelicæ puritatis candorem, & tantæ festiuitatis iucunditatem restantibus: qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum, etiam post ablatum vestro è conspectu Saluatorem? Cur admiramini Deum omnipotentem cælos conscendisse? miremini potius eum ad vestræ infirmitatis conditionem suscipiendam descendisse. Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, id est, in ea forma veniet iudicaturus viuos & mortuos, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Non igitur oculis in cælum intentis hic diutius hæreatis, tanquam ad vos modo rediturus sit. Redibit quidem, sed eo tempore quod ipse solus nouit. Interim vos ita viuite, vt redeuntem securi videre possitis.

Angeli quomodo dicantur baptizati spiritu sancto.

Baptizatio mentis quomodo dicatur.

Eccl. 10.

Regni celestis restitutio quando futura

Hereticos semper querere latibula, vbi suas spergant impietates. Marc. 16.

Luc. 24.

EXEGESIS EVANGELII IN EADEM solemnitate. Marc. XVI.

Post peractum salutis nostræ opus, mortemq; perpeffam, benignissimus saluator per quadraginta dies idēdem discipulis seles visendum præbuit, & in fide eos confirmauit, vt nihil possent de eius resurrectione

yy 2 ambi-

ambigere, quam tot indicijs, certaq; experientia didicissent: ac demum XL die illis aspectantibus, celos gloriosus ascendit cum innumera sanctorum patrum & angelorum frequentia: ut sicuti olim filij Israel per desertum XL annis ambulauerant, ac deinde terram promissionis ingressi sunt: ita Dominus XL à passione die veram promissionis terram cum suis ingrederetur. Cuius nimirum causa in hoc miserabile sese exilium è celis demiserat, & in labores, tot dolores perpeffus erat, ut scilicet, in patriam caelestem veramq; Hierusalem, fraude improbi serpentis amissam, humano generi poliminitio reuerti liceret. Itaque ascendet in iubilo, cantantibus angelis, psallantibus iustis quos fortis armatus ex diaboli carcere vi eduxerat, & ad æterni Patris properauit conspectum, oblaturus illi prædam gratissimam tot millium animarum, quas sua morte ab æterna morte liberarat. Cognosce hic, si quis modo potest, quid gaudij, quid exultationis senserit Dominus Iesus, quod tantam sanctorum multitudinem suis pœnis cum Patre in gratiam restituisse, celorumq; aditum eis se patefecisse cerneret. Sed nunc attentis cordibus, animoq; collecto consideremus dicta factaq; Domini Sauatoris iam iamq; celos ascensuri, ea que nostris pectoribus fortiter imprimamus. Non enim debent nisi studiosissimè ac attentissimè inspicere & audire, quæ Dominus à nobis recessurus dixisse ac fecisse legitur. Ita namque etiam in humanis rebus vsu venire cernimus, ut amici procul abiuri, aut moreretur extrema verba gesta que arctius menti inculcantur. Atque vti nunc tam finis in his Domini nouissimis sermonibus ac gestis percipiendis intenti, ut nos vna cum illo animis celos scandamus, possimus que dicere cum Apollolo ex sententia. Nostra autem conuersatio in celis est: Quod certe maxime Christianos omnes deceret, ut sicut Christi membra se dici & haberi voluerunt, ita semper cordibus illic versentur, quo caput suum hodie præcellit coniungimur. Membra autem quæ capiti non inhaerent, illius vitales influxum non recipiunt, nec eius spiritu vegetantur. Porro, qui spiritum Christi non habet, hic non est eius. Semper igitur, quantum humana sunt fragilitas, capiti nostro inhæreamus, & calcatis rebus caducis, in caelestibus habitemus. At nunc Euangelij explicationem aggrediamur. S. Marcus vltimo sui Euangelij capite, sic ait:

Recumbentibus vndecim discipulis apparuit illis Iesus, & reprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderunt.

Hæc apparitio facta est ipso Ascensionis die, quando discipulis in conuiculo illo, vbi Pascha ederat, sese visibilem exhibuit, atque vna cum eis etiam cibum sumpsit, ad carnis veritatem demonstrandam. Et quia iam erat abiturus in celum, ut in fide firmiores, tenaciusq; verborum illius memores essent, reprobrauit illis incredulitatem illorum & duritiam cordis, quia eadem non commodauerant dictis eorum, qui eum rediituum conspexerant affirmarant. Nouimus enim ex scriptis Euangelicis, quam fuerint ad credendum difficiles, præsertim aliqui eorum, adeo ut S. Thomas creocredere non posset, nisi suis digitis vulnerum cicatrices attigisset. Sed hic quæri potest, quomodo

Numer. 14.
& 22.
Deut. 9.

Pfalm. 46.
Lucæ 11.
Zach. 9.

Quanto cum
gaudio Do-
minus celos
conscenderit.

Verba Christi
ascendentis
quanta cum
deuotione
sunt incul-
tanda.
Philipp. 3.

Rom. 8.

Lucæ 24.

Ioan. 16.

piissimus Saluator hac incredulitate electissimorum corda discipulorum laborare tamdiu permiserit, cum tamen illi merito ad credendum promississimi esse debuissent: nisi quod propter nos id permillum facile intelligimus, vt dum illi cunctantius ad fidem accederent, nos omni hæsitacione ac trepidacione absolueremur. Itaque benignissima miseratione, & prouidissima dispensacione Apostoli & alij nonnulli ex discipulis aliquandiu in hac animi fluctuacione & credendi difficultate relictî sunt, vt nos certissimi fidei præbuisse. Neque putemus solos Domini discipulos à Christo reprehensos esse ob incredulitatem suam. Imo verò in hanc vsque diem non desinit Saluator per Spiritum sanctum suum multisq; alijs modis singulorum hominum, maxime Christianorum obiurgare incredulitatem & duritiam cordis: tametsi paucissimi id percipiant ob nimiam mentis surditatem. O quanta hodie mortales penè omnes incredulitas & duritia cordis obrinet: cuius vel hoc vnum satis est euidentis argumentum, qui vsque adeo huic mundo rebusq; labentibus dediti sunt: Deum autem, summum videlicet bonum, & futuram gloriam pijs omnibus promissam, penitus nihil pendunt. Nam quod fidei vestigium potest apparere, vbi nec minæ terribiles, nec promissa amplissima æterni Dei id possunt efficere, vt mundus contemnatur, & Deus timeatur ac ametur? Tales igitur obiurgat Deus tum per seipsum, occultasq; inspirationes suas, tum per angelicos spiritus nostræ salutis scientissimos, tum per superiores nostros, tum per conciones sacras, tum per flagella multiplicia itentisq; alijs multis rationibus: sed raro quicquam proficit, eo quod corda gerant lapidea, quæ nullis admonitionum vel reprehensionum spiculis compungi se patiuntur: sed semper seipsis deteriora fiunt, indies profundius sese in vitiorum gurgites demergendo, donec tandem eo deuoluuntur, vbi iam nullum sit in pœnis remedium. Sequitur:

Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ.

Ante passionem suam dixerat Christus discipulis suis: *In viam gentium ne abieritis. & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed ite potius ad oues quas perierunt domus Israel.* At nunc iubet eos toti orbi annunciare Euangelium. Vehementer enî diligebat populum illum, in quo tamen ab initio semper summam est expertus ingratitude. Ideoque si qua ratione potuissent ad agendam penitenciam, atque ad ipsum Christum agnoscendum & recipiendum emolliiri, tum per seipsum, tum per discipulos suos illis solis Euangelij lucem & gratiam voluit prædicari, donec tandem ipsi à se eam repellere. Vnde tamen etiam Apostolos hoc loco iubet in vniuersum pergere mundum: non tamen id statim fieri permisit, nisi quando obstinata Iudæorum perfidia & ingratitude meruit derelinqui, & ad gentes Dei gratiam transferri. Quod tum demum factum est, quando Apostoli inter sese provincias partia, longè lateq; Christi fidem & Euangelium diuulgarunt. Quod autem dicit hic Christus, vt annuncient Euangelium omni creaturæ, de cunctis gentium nationibus accipi debet. Quare quantum nobis omnibus, qui ex gentibus ad Dei veri notitiam perducti sumus, à Deo beneficium præstitum sit,

Dubitare cur Christus permiserit Apostolos de sua resurrectione.

Incredulitas Christianorū multorum vnde hodie contingat.

Deum multifariam malorum Christianorum reprehendere vitam.

Matt. 10.

Creaturæ omni cui prædicari Euangelium præceptum.

YY 3 nulla

nulla mens creata potest comprehendere. Siquidem ex tam longis ac innumeratis erroribus, cimmerijsq; tenebris, stultissimisq; gentilissimi opinionibus, quæ animis hominum penitus infederant, ad creatoris nostri cognitionem reuocari sumus, relietq; spurcissimorum cultu demonum, verum Deum supplices adoramus & colimus, tot annorum Millibus toti sermè hominum generi prorsus incognitum. Itaque dignas Deo dilectissimi impendamus gratiarum actiones, quod nobis miseris voluit per Apostolorum, cæterorumq; seruatorum suorum prædicationem innotescere, & nos à profundo mortis extrahere, cum interim omnes illi qui nos præcesserunt hodieq; viuunt veræ fidei expertes, nisi respiciant, haud dubio cum animâ & corpore semper sint apud inferos pœnas grauissimas pro sua cæcitate ac infidelitate daturi.

Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur.

Fides totius religionis nostræ fundamentum est, quæ necessario ad obtinendam beatitudinem exigitur. Nam sine fide impossibile est placere Deo. Sed ne quis seipsum fallat, putetq; cum Lutheranis solam sufficere fidem, quandoquidem Dominus hic affirmat, eum qui crediderit & baptizatus fuerit, saluum fore, audiatur quid idem Dominus post resurrectionem apud Martham dixisse legatur: Ibi namque sic habes: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruari omnia quæcumque mandauit vobis.* Hoc fac hæretice, & viues. Noli tantum credere in Iesum, imponens tibi ipsi sed serua omnia mandata illius, & saluus eris. Scis quid præceperit tibi Deus: nempe, vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis: & proximum tuum sicut teipsum. Id si feceris, securus eris. Alioqui fides tua damnationis cumulus potius tibi erit, quam salutis.

Quod si mille adferas scripturæ loca, quæ idem sonare videantur, puta solam sufficere fidem, tamen nisi fidei coniunxeris spem & charitatem, & obseruantiam mandatorum Dei, delusum te senties. Sunt apertissima scripturarum testimonia, quibus id certo probatur. Ipse Dominus noster Iesus Christus dispensatis ac distributis censibus in opere redemptionis acquisitis (quos in Euangelio secundum Mattheum talenta: secundum Lucam, mnas vocat) non solum exigit studium acque diligentiam nostram, sed etiam minatur pœnam, si lucrum non faciamus. *Negotiamini, ait, dum venio.* Vbi duo nobis attendenda veniunt: Primo, pecunia siue dona nobis ex illius benignitate collata. Secundo cooperatio nostra dum dicitur: *Negotiamini.* Non enim talenta tantum contulit, sed etiam nostro studio aucta ea vult ad se referri: idq; adeo vt pigrum seruum inertie deditum iusserit in tenebras exteriores mitti, eo quod nullum fecisset negociando & cooperando lucrum. Quod si sola fides sufficit, & opera ad salutem necessaria non sunt, cur tanta comminatione à nobis exquiruntur?

Cur in æternas iussit mergi tenebras talentum integrum, sed nihil auctum reportantem? Qua tandem iusticia hæretice puniuntur omittentes ea, ad quæ non sunt obligati? Quomodo stat sententia tua cum sententia summæ veritatis? Veritas dicit: Qui gratiæ quam diuinitus accepit, non erit cooperatus, damnabitur, siue mittetur in tenebras exteriores. Tu autem dicis: Fides sola sufficit.

Gratiarum
quantam a-
ctionem re-
neatur Deo
Christiani
pro vocatio-
ne ad fidem.

Hebr. 11.

Matth. 23.

Deute. 6.

Matth. 22.

Marc. 12.

Lucæ 11.

Fides hæreticorum vt sit cumulus dænationis potius quam salutis.

Matth. 25.

Lucæ 9.

Ibidem.

Opera bona quam sint ad salutem necessaria.

sufficit sine operibus. Certè aut Christum, aut te errare necesse est. Absit autè ut veritas erret. Tu potius excæcatus superbiæ tumore, à veritate aberras, dū nimium contra & supra multorum sanctissimorum patrum concordem intelligentiam sensa scripturarū pro tua libidine ac animi vanitate & elatione interpretaris, ita ut merito inter illos numerandus sis, de quibus Humilitatis Magister, sic ait ad Patrem: *Abcondisti hæc à sapientibus & prudentibus, scilicet in oculis proprijs, aliosq; præ se despicentibus, tanquam ipsi melius alijs sapiant: & reuelasti ea parvulis qui malunt humilibus consentire, & intellectum suum captivantes, aliorum potius iudicio inhærere, quam laudis cuiusdam & singularis existimationis captanda gloria vna cum negligentibus operarijs ad tenebras interiores & exteriores deduci.* Alio quoque loco paterfamilias, qui vtiq; Deus Omnipotès est, operarios conduxit in vineam suam, singulisq; mercedem pollicitus est: ac deinde ait procuratori suo, ut vocet operarios & reddat illis mercedem suam. En operarios nō ociosos & desides præmio affici, istjs mercedè restitui iubet. Merces autem non soluitur, vbi nullum præcessit opus vel meritum. Sed quid necesse est multis his immorari? Tam nihil habet dubitationis præter fidem etiam opera esse necessaria, ut etiam illi qui contrariam tuentur opinionem, haud dubiè propria reuerti conscientia ira sentiant, licet aliter scripto aut verbo sentire videantur. Pudet namq; eos victos se fateri, & errorem damnare suum. Quod si qui ita sunt cæci, ut se errare nesciant, illorum misereatur Deus. Sed quāuis fides sola ad salutem nō sufficiat, tamen certum est quisquis ea caret, eū saluū fieri non posse, sicut Dominus ait: *Qui verò non crediderit, condemnabitur.*

Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient: Linguis loquentur nouis: Serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super agros manus imponent, & bene habebunt.

Hæc signa illis temporibus fuere necessaria, quibus Euangelij prædicatio cepit originem. Deinde vbi fides creuit, signa illa externa in spiritalia abiierunt: sicut etiam hodie quotquot verè fideles sunt, signa eadem inuisibiliter ac spiritaliter efficiunt. Enimvero in nomine Iesu dæmonia eijciunt, quādo à malis spiritibus grauius impugnant, & diuersis tētationibus vexati, Christi auxilium implorant, signoq; crucis & fide viuā eos repellunt. Scriptum est enim: *Turris fortissima nomen Domini: ad ipsam currit iustus, & saluabitur.* Ex rectè dicitur: *In nomine meo dæmonia eijcient.* Nam quoties aduersus tetros illos spiritus præualemus, non vtiq; nostris viribus, sed Christi virtute & gratia præualemus: cui etiam totam victoriæ nostræ laudem & summam deferre debemus. Nam sine illo quid nos miseri possemus contra versutissimos, ferocissimos, atque in omni nequitia genere exercitatissimos spiritus, qui sæpè nec verbulum vnum æquanimiter ferre valemus. Vnde cavendum summo opere est, ne inaniter animo extolamur, aut nostris tribuamus viribus, dum tētationes vincimus: sed summa cum humilitate & gratiarum actione dicamus Domino: *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Ex: *Quoniam in te eripiar à tētatione, & in Deo meo transgrediar murum.* Ex: *Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus*

Math. 11.

1. Corin. 10.

Math. 20.

Mercedem operibus bonis solis deberi. Hæreticos docere contra propriam conscientiam. Fides quā ad salutem sit necessaria.

Miracula externa quādo, quibusque fuerint necessaria. Dæmonia eijci mysticè qui cōtingat. Prouerb. 18.

Victoria contra dæmones cuiusmodi adscribenda.

Psalm. 117.

Psalm. 117.

Psalm. 117.

Linguis no-
uis quinam
mystice lo-
quantur.

Matth. 12.

Matth. 16.

Serpentes
quoniam spi-
rituualiter au-
ferant.

Serpentes
tartarei uti
sunt de mo-
aco.

Apoc. 7.

Inspiratio-
nes prauæ
quatenus vel
obstat vel
profiat.

Mortiferum
quinam quid
mystice bi-
bant.

Detractione
libenter au-
dire quam sit
periculosum.

Detractio ut
sit furto gra-
uius peccatū.

Detractionis
species sex
quænam sint.

factus est mihi in salutem. Linguis autem loquuntur nouis, qui ex diuina gra-
tia compuncti, atque ad Deum ab improba vita conuersi, sicut prius scurrili-
lia, mendacia, vana, impia, ociosa verba & audire, & dicere solebant: ita
obrectationibus, murmurationibus, alijsque illicitis verbis linguas suas,
imo & animas contaminabant: ita nunc ob timorem & amorem Dei, atque
pro tuenda cordis & conscientie puritate, aut silentio vacant, aut non nisi
vtilia, necessaria, & que ad Dei laudem & proximi vtilitatem spectant, lo-
qui volunt: memores semper terribilis illius sententia Domini Saluatoris.
De omnino ocioso quod loquuti fuerint homines, reddent de eorum orationem in die iudicij.
Si ociosus sermo illius tremendi iudicij examini seruetur, quid fiet de
pernitioso? Serpentes tollunt, qui venenatis ac pestiferis resistunt sugges-
tionibus: vel qui suis adhortationibus malitiam ex aliorum cordibus ex-
cludunt. Serpentes tartarei demones sunt, qui nunquam non pios virulen-
tis inspirationibus infestant. Et quemadmodum serpentes venena sua in-
fundunt in hominis corpus, ita demones virus exitiale prauarum sugges-
tionum animabus instillant, ut eas auertant à Deo, & suis poenis moueant.
Sed tollendi sunt serpentes isti penitus negando consensum, ut etsi sentiat
sibilus nefandarum inspirationum, tamen ob amorem & honorem
summi Dei, qui dilexit nos & liberauit sanguine & morte sua de potestate
satanæ, illi minimè consentiat. Atque ita nihil officiet, quantumuis ex-
cranda suggestio. Nam virtus aut vitium ex voluntatis consensu dependet:
nec aliquid adfert detrimenti sensisse malum, si consensus non præbeatur,
sed Deo fideliter & constanter adhæreatur, imo verò sapius prauæ demo-
num inspirationes pijs magnam præstant vtilitatem, dum sua importunitate
& molestia penas minuunt peccatorum, & ad magnam capessendam gra-
tiam eos præparant. Qui autem noxijs assentiunt inspirationibus, illi vitium
serpentinum intimis hauriunt visceribus, & mortem sibi ipsis asciscunt.

Porro mortiferam quidem potionem sumunt, siue mortiferum quid bi-
bunt, qui hominum malorum & Deum non timentum pernitiosas audiunt
obrectationes, aliaque verba mortifera & nocua: sed vbi aduertunt, si
non sit spes emendationis, mox penitus inde se auertunt: aut alias pro loco
ac temporis ratione reprehendunt, ne alienis peccatis communicent, & li-
benter audiendo quæ non licent, alijs præbeant occasionem liberius talia
proferendi, & seipso apud Deum reos efficiant. Periculosum enim admo-
dum est audire detrahentem. Nam si quis consentiat illi, aut obrectationem
illius ipsi placeant, vel non resistat illi ut oportet: puta vel obiurgando, si
speret eum posse corrigi, aut ab obrectando reuocari: vel ad minus ab eius
dictis sese auertendo, aut vultum tristem contrafectionem velli exhibendo,
vnde intelligat se grauare audiri, peccatum admittit. Et sæpè in his sententijs
valde grauiter peccatur. Detestandum sanè vitium detractio est, & ipso furto
grauius. Nam qui detrahit, famam alterius tollit, & extinguit in cordibus
audientium: quod nemo dubitat pernitiosius esse, quam nummos aut aliquid
quiddam eiusmodi tollere. Et tamen qui furatur quippiam, in crucem ma-
lam agitur, qui verò detrahit, apud homines impunitate gaudet, sed nota
apud Deum. Sunt autem sex Detractionis species. Prima omnium eorum lon-
gè deterrima est, cuiusdam falsa imponere crimina: Secunda, alterius oc-
culte

culta mala proferre in publicum? Tertia, mala audita alijs cum quadam exaggeratione referre: Quarta, aliorum occulta negare bona: Quinta bona manifestata diminuerre & extenuare: Sexta, bona aliorum in partem peiorem interpretari. Istæ hæc qui facit animo malitioso, mortiferum quidem, quantum in ipso est, alijs poculum præbet: sed bibentibus non nocet, dum non placet, sed ita ut dictum est, sese gerunt. Denique, super ægros, manus imponunt & bene habent, qui proximos suos in malum procliuës, & ad resistendum tentationibus, virtutesq; colendas infirmos conspicientes, suis monitijs, exemplis & precibus illis succurrunt, atque ad declinanda fugiendaque mala, & bona agenda eos efficiunt alacres, firmos ac studiosos. Qui enim difficultè abstinere à vitijs, & bona ægrè operatur, is vtiq; animo valde infirmus est. Et talibus vnusquilibet debet pro viribus esse consilio & auxilio, ut possint animo conualescere ad cauenda vitia & rectè agendum. Sed heu maxima pars hominum ita iam affecta est, ut quoscunq; possint, malint à bono retrahere, & ad vitia illicere, quam ad meliora prouocare: qui sunt inimici Christi Iesu, & socij atque cooperatores dæmonum.

Ægros curare spiritualiter quid sit.

Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

Non ista solum, quæ hic S. Marcus commemorat, sed etiam alia multa locutus est Dominus discipulis suis. Quibus expletis videntibus multis assumptus est in cælum empyreum, non aliena, sed propria virtute, tum ratione diuinitatis, qua potest omnia: tum ratione humanitatis gloriosæ. Siquidem ob dotem agilitatis, corpus gloriosum, quatum ad motum localem attinet, ad nutum obtemperat animæ. Et sedet à dextris Dei. Nemo putet Deum sedere, vel habere manus, cum sit Spiritus. Sed Christus secundum humanitatem sedet à dextris Patris Dei Omnipotentis, hoc est, vltra creaturas omnes subleuatus est in summam vsque dignitatem & potestatem, & bona præstantissima, quæ Deus largiri queat. Non est hoc loco præmittendum, quod hac die Dominus Iesus discipulos suos primo de ciuitate eduxit. Secundo eos in Bethaniam adduxit. Tertio eis benedixit. Quarto ascendit in cælum.

Matth. 28.
Lucæ 24.

Christus quomodo sedere dicitur à dextris Dei.

Lucæ 24.

Hæc enim mysticè significant Dominum Iesum, hominem peccatorem primo quidem ex peccato & vitijs educere: deinde in Bethaniam, id est, obedientiz domum perducere, ut qui ante suis indulset affectibus, propriæq; obsequutus est voluntati, quæ radix est peccatorum omnium, deinceps Dei & Ecclesiæ, prælatorumq; suorum discat parere voluntati. Tertio ei benedicere, id est, gratiam impertiri, qua perseueret in bono. Quarto ascendere, id est, illius animum ab amore præsentium ad amanda & appetenda cælestia leuare, atq; ad superna transferre. Illi autem profecti, non tum statim, sed opportuno tempore, ut ante dictum est: prædicauerunt vbiq; primo in Iudæa locisq; adiacentibus, deinde etiã in exteris regionibus, Domino cooperante & sermonem confirmante, sequentibus signis. Ita sanè necesse erat, ut prædicatorum suorum sermonibus diuina gratia cooperaretur, alioqui nunquam illi tam pauci, tam simplices, tam abiecti, tantam hominum multitudinem ad

Eorum quæ Christus ascenditurus fecit rationes mysticè quæliant.

Prædicationis Apostolorum ratio mystica quæ.

Signa in cō-
uersione infi-
delium cur
fuerint op-
portuna.

In conuer-
sione hominum
ad Deū qua-
dam instru-
menta apta
requirantur.
Prædicatores
quidam cur
fructum par-
uum aut nul-
lum referant.

credendum in hominem crucifixum traducere potuissent. Vnde adiuu-
sunt illis signa, quibus auertentium animi de eorum que dicebantur verita-
te certissimi fierent, planeque confirmarentur: nec quisquam fidelium dubi-
tare potest, quin mundi ad Christum conuersio diuinæ gratiæ potissimum
ascribenda sit, utpote qua factum est, ut prædicatorum verba hominum
nimos emollirent, penetrarent, compungerent: quæ si defuissent, utique non
nisi aëra verberassent. Nemo ergo sibi tribuat, si quandoque suis vel con-
uersionibus, vel scriptis alios conuersos sentiat. Gratia est quæ homines con-
uertit. Interim homines quædam instrumenta sunt, per quæ gratia operatur.
Non est tamen dubitandum, quin ut plurimum efficacius operetur gra-
tia per apta & munda instrumenta, id est, prædicatores sanctos, quam per
qui quod verbis docent, ipsi factis non sequuntur. Fit enim sæpenumero, ut
ceteri bona multa etiam feruenter & doctè dicantur ab illis qui secos viuunt,
atque docent, tamen parum aut nihil apud auditores efficiant, eo quod ut
frigido corde ipsorum dicta proficiantur, atque ob id non incendunt
alios. Quanquam cauendum est ne quis iudicet temerè quempiam: sed à quo-
cunque veritas dicatur, semper humiliter, reuerenter & attentis animis au-
cultanda est: nec tam attendendum cuiusmodi sit, qui dicit, quam ea quæ il-
lius ore proferuntur.

SERMO IN EADEM CELEBRITATE.

*Quanos, quo minus post Christum ascendamus in celum, impediunt:
& que nobis ad ascendendum adminiculo sint.*

Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona homi-
bus, Ad Ephesios IIII. Quantum nos hac die solenni gaudere deo-
charissimi filij, qua in Christo natura nostra prius in Adam corru-
pta & ex amoenis & tranquillis paradisi sedibus in hoc teterimum labo-
ris mundi exilium relegata, vltra omnem angelicorum spirituum celum
nem, vsque ad æterni Patris est euecta confessum, quisquis non intelligit,
sensu & sensus omnis inops est. Quid enim tantam possit nobis miseris, nobis
desperatis, nobis iræ & damnationis filijs veræ ac salutaris lætitiæ ma-
riam ingerere, quam quod hodierna die verus Dei Filius, idemque verus ho-
mo naturam nostram, quam pro abolendis illius erratis, expian digne me-
ritis pœnis susceperat, suæ diuinitati vnione tam stupenda, quam insep-
abili copulatam, in cælorum summa arce ac præcipua dignitate collocari.
Obsecro Domine quid est homo quod memor es eius, aut quid apponit erga eum
tuum? Siccine decet morti pro suis sceleribus suisque contemptu & ingrati-
tudine destinatos, ad tantam euehi gloriam, & non solum iustas non luere pe-
nas, sed etiam in tua transire membra, tuæque beatitudinis inæstimabili parti-
cipatione beatos ac gloriosos effici? O immensam erga nos Dei charitatem
benignitatem. O homo terræ affixus, lucris & voluptatibus & vanitatibus
terræ semper deditus, excutere de puluere, mentis caliginem absterge, inuade
de acriter oculos cordis ad cōtemplanda beneficia Dei. Vide quo te vocet be-
nignitas & munificencia Dei tui: vide quam ille te nolit esse contentum in
paruis, breuibus & angustis rebus, quas orbis sublunaris insipientibus ob-
fert & ingerit, prima fronte & siccata specie blandas ac suaves, ac exitu asper-
barit

Psal. 1.
Iob 7.

Afensione
sua que non
Chridi ho-
ni in conu-
lerit charis-
mata.

bas & amaras: sed exieſtibus, æternis, nec vnquam vel fraude cuiuspiam amittendis, vel vi eripiendis bonis te diuitem ac beatum efficere cupiat. Propterea namque Chriſtus hodie aſcendit in cælum in ea forma, quam aſſumpſerat, quæ nobis cum illo communis eſt, vt poſthac ſcias committendum tibi non eſſe, vt animo hiſce inſimis rebus adhzreſcas, ſed poſt Chriſtum toto cordis affectu, propoſito, amore, conatu tendas ad ſuperna: id quæ maximè turpe tibi ducas, ſi mundi ſtercora velis amplecti, qui ad immenſas Dei Patris tui in cælis repositas opes ſecurè poſſidendas Dei benignitate vocaris. Age igitur abiectis impedimentis, ea tibi aſciſce, quibus ſeruus & ſuffultus, polius alacriter poſt Chriſtum in cælos conſcendere. Impedimenta autem ſunt ea omnia, quæ à Dei voluntate diſcordant, vt ſunt vitia & perturbaciones animi, quibus anima ceu quibuſdam compediſus ac vinculis ſtringitur, & captiua retinetur, vt non poſſit liberè ingredi. Adiuuenta autem & adminicula ſunt virtutes & dona Dei, quæ animam reddunt expeditam & liberam, vt in ipſum vſque cælum euolare poſſit. Quæ duo vna ſententia complexus eſt Apoſtolus, eam à Propheta mutuatus, vbi ait: *Aſcendens Chriſtus in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus.* Captiuam, inquit, duxit captiuitatem, noſtrorum ſcilicet nexibus alioqui inexplicabilibus peccatorum nos abſoluens, quibus anima miſerandum in modum obligatur, vt non poſſit indita ſibi diuinitus vri libertate, nec erigere ſeſe ad cognofcendum, amandum, ritequæ colendum Dominum Deum ſuum: ſed auerſa ſemper à veris bonis, atque adeo ab ipſo omnis boni fonte Deo, prona quadam cupiditate feratur ad ſpeſtanda, expetenda, & amanda vitæ temporalis oblectamenta: quæ tamen nedum vana ſunt, quia breuia: ſed etiam fallacia, quia inſidioſa. Deinde adiungit Apoſtolus: *Dedit dona hominibus, veris ſcilicet virtutibus nos exornans ac inſtruens, quibus ceu alis quibuſdam ſurſum feramur.* Vt enim vitia ſuo pondere animam ſemper in ima deprimunt ita virtutes ex Dei gratia ſurſum leuant. Vnde etiam in extremo die, quando Dominus ad iudicandos mortales omnes adueniet, impij & ſeſteſti peccatorum ſuorum graui ſarcina retenti, non poterunt vltra terram ſeſe erigere: iuſti autem & ſancti Chriſto pergunt obuiam in ætra, moxquæ cum eodem etiam momento celerius in cælum empyreum ſubuolabunt: impij verò maleficijs ſuis tanquam immaniſſimis plumbi maſſis & ponderibus in profunda tartarorum deprimuntur. Itaque vt ad abiicienda peccata, virtutesquæ excolendas animis accendamus, de veriſque nonnihil in medium adferre ſtatuiſmus. Conſtat nimirum duas eſſe vias, per quas humanam vitam progredi neceſſe eſt: vnã ſcilicet virtutum, quæ ſurſum ducat ad veram beatitudinem vbi nobis Dei viſio promittitur, quæ quicquid rectè deſiderari poſteſt, in ſe compleſcitur: altera vitiorum, quæ ad inferos deprimat, vbi eſt malorum omnium conſuſa congeries, & infinita calamitas, quantam nulla mens concipere, nulla lingua explicare poſteſt. Haſce vias nedum Philoſophi, ſed etiam Poetæ commemorant. Et eam quidem viam, quæ ſit aſſignata virtutibus, primo aditu arduam eſſe voluerunt & conſragoſam, in qua ſi quis difficultate ſuperata, in ſummum eius euaserit, quod vti que nec illi ipſi præſtare potuerunt, qui ſuis hæc ſcriptis poſteritati commendarunt, quamdiu diuinæ gratiæ fuerit

Eſaiz. 52.
Aſcensione
ſua quænam
Chriſtus ſuos
docuerit.

Quænam ho-
minem ab aſ-
cenſu poſt
Chriſtum in
cælum impedi-
ant.
Aſcenſum
mentis in cæ-
lum quænam
promoueant.
Ephel. 4.
Pſalm. 67.

Ephel. 4.

1. Theſ. 4.

Via virtutum
quo ducat.

Via vitiorum
quæ ſit quoue
ducat.

Via vitiorum
vt ſit primo
congreſſu ar-
dua, deinde
facilior.



Via vitiorum
vt sit facie
prima facilis
& iucunda.

Hesiodus,
Basilius.

Ibidem.

Chius.

Virtus & Vo-
luptas qui ex
duo metro di-
uerse sunt.

Viarum dua-
rum duces
quinam sunt.

expertes, deinceps plano illum vii itinere, lucidumq; & amoenum habere campum, & omnium laborum suorum capere fructus vberes atque iucundos. Quos autem primi aditus difficultas deterruerit, eos ad vitiorum sese conferre viam, quæ primo ingressu sit quasi amœna, multoq; tritior. deinde cum in eam paulo longius processerint, fallacem iucunditatis eius speciem repente euanescere, exoriri autem viam præcipitem, innumeris planam periculis, nunc rupibus asperam & inaccessam, nunc obductam sentibus, nunc procellofis gurgitum fluctibus saeuam ac immitem, nunc torrentibus rapidam, vt laborare, hæere, labi, præcipitem fieri necesse sit. Quibus quidem nihil aliud homines illi ingeniosi quidem, & quod ad humanam attinet scientiam eruditi significare voluerunt, nisi in virtutibus obtinendis laboris ac sudoris inesse permultum: in perceptis autem fructus longè vberissimos, & veras ac solidas voluptates. Vicia verò fallacissimis quibusdam delinimentis illicere animos hominū, & pernicialium oblectamentorum inanissima voluptate captos & illaqueatos ad intolerandas miseras, acerbasq; calamitates perducere. Extant hinc pulcherrimi apud Hesiodum vetustum poetam versus, quos sanctissimum præsulem Basilium quadam concione recitare non piguit, suntque eiusmodi:

Ad vicium facilis vicinaque semita cunctis
Panditur: at virtutis iter posuere remotum
Cælicolæ, durumque prius, sed vertice summo
Dum fuerit, planum se offert quærentibus illud.

Quibus carminibus vir sanctus nihil aliud poetam voluisse putat, quam ad amplectendam virtutem homines excitare, vt nec initio voluptati considerent, nec rerum tædiæ ac labore ante consequutum terminum desicerent. Meminit idem reuerendus antistes Chij cuiusdam, qui hisce iam dictis similitudine virtutem & vitium scripserit, cuius sententiam recitat, eiq; mentem adhibendam afferit: eo quod nequaquam vir despiciendus videatur. Ait igitur Chius ille: Iuueni quondam Herculi secum consulenti ad vtram viarum se conuerteret, an eam, quæ ad virtutem per labores ducit, an facilem per voluptates ingrederetur, duas ei sceminas Virtutem ac Voluptatem, quarum mox tactus apud se ex diuerso habitu differentiam agnouerit apparuisse. Altera quidem forma conspicua, molliore facie, lasciuis oculis, sermone blando, omni fausta faciliq; & ad vitæ solatiâ tendentia per oria pollicendo Hercule adit trahere conabatur. Altera verò vultu rigido, squalenti mœstoq; ore, magnam fiduriam atque constantiam præ se ferens, nihil iucundum, nihil amœnum ostendebat, sed mille pericula, laboresq; immensos terra marisq; subeundæ. Præmium tamen horum immortale: ad extremum verò morientem Herculem se secururam, & inter Deos collocaturâ promittebat, hancq; securū Herculem dicit. Hucusq; S. Basilius. Pulchrè quidem viri isti virtutis ac vitiorum depinxerit itinera, planè diuersa, sed tamen quia futuræ vitæ nullam habere certam notitiâ, non satis mouent Lectoris animum. Itaq; quæ ab illis factis explicata non sunt, ex nostræ religionis indubitata persuasione petenda sunt. Nobis quidem certum est diuersas planeq; cōtrarias, vt iam ante diximus, homini propositas esse vias, quæ tandem non ad temporariam sed prorsus æternam vel felicitatem, vel miseriam perducant. Habetq; vtraque ducit

ducem suum, qui per eas ingredi volentes deducat. Virtutis via dux Christus est, vitiorum diabolus. In virtutum via, quam à mundi exordio Dei amici omnes amplexi sunt, prius demonstrantur mala multa & molesta homini exteriori, qui peccato corruptus continuū cum anima bellum gerit, detrectans illius imperium, quæ Deo obtemperare noluit, sed mala hæc temporalia tantum, quæ postmodum sempiterna consequantur bona. In vitiorum autem via ordine contrario prius temporalia offeruntur bona, sed quæ tandem ad æterna perducant mala, ut quicumque præsentia mala, quæ diuturna esse non possunt, cum iustitia delegerit, malens ob conseruandam Dei sui similitudinem momentaneis affligi incommodis, ut possit tueri virtutem ac innocentiam, quam quibuslibet gaudere oblectamētis cum iniuria summi Dei, idem ipse maiora & potiora consequatur bona, nempe æterna, quam fuerint illa, quæ spreuit, utpote breuia & incerta. Quisquis autem labentis vitæ bona iustitiæ præposuerit, aut carnis infirmitate, aut praua deuictus consuetudine, vel obstinata animi irretitus improbitate, in acerbiora & diuturniora incurrat mala, quæ ea quæ fugit. Hæc enim vita temporalis, quam iusto Dei iudicio à patria exules & extorres in hac rotis miseris valle degimus, quia breuis & momentanea est, idcirco & comoda eius & incommoda diuturna esse non possunt. Illa verò spiritalis, quia sempiterna est, idcirco & bona eius & mala sempiterna sunt. Ita fit, ut & bonis breuibus, caducis, fragilibus, mala æterna, soloquæ auditu horrenda nimis, & malis breuibus ac momentaneis bona perpetim māsura succedat.

Dicamus hæc paulò explicatius. In via perditionis, cuius dux est criminator ille tartareus & serpens tortuosus, quæque aspectu plana, & patens omni genere florum atque fructuum delectabilis esse videtur: nō illis quidem, qui rectè sapiunt, sed stolidis & occæcatis, qui falsa pro veris sequuntur bonis. In hac, inquam, via posita sunt omnia, quæ pro bonis habet miser & omnis veræ lucis alieni, ut est opulencia, honor, otium, voluptas, illecebræ omnes. Sed cum his pariter iniustitia, superbia, libido, cupiditas, stulticia, cæteraq; vitia, & quæcunque Deus execratur & odit. Huius autem vitæ exitus talis est. Cum ventum fuerit ad extremum, vnde iam nulla datur facultas retrocedendi cum omnibus suis bonis fallacibus & illecebrofis, cum omni suo splendore ac commentitia felicitate tam subito præciditur, ut nō ante miser illius nexibus inuoluti ac obstricti, tum illius imposturam, tum sua pericula & damna perspicere possint, quam in profundum tartarorum chaos quo illa omnes sui sectatores certissimè perducit, ruant præcipites. Quisquis enim earum rerum, quæ præsens vitæ indiscriminatum bonis malisquæ ingerit & exhibet, molli ac delicata specie captus & illectus, atque in his, nulla habita voluntatis ac præceptorum Dei ratione, consequendis ac fruendis occupatus, animum à futurorum consideratione. reuocauerit, seque à Deo auerterit, atque ad dæmonum castra transfugerit, is morte ex hac luce abreptus, mittetur in abyssum, & stagnum illud pice ac sulphure semper arsurum, dæmonesq; ac impios omnes perenniter crematurum. Porro in caelesti virtutum via, quæ difficilis & cliuosa, atque vel horrida veprium ac tribulorum asperitate terribilis vel præruptis ac arduis rupibus minimè perua prima facie videtur, ita ut tam ingredi volenti, multo labore ac fo-

Via virtutum
quam sit fen-
sulitati dif-
filiis.

Vitæ huius si-
ne molesta si-
ne suauia nō
posse esse di-
uturna.

Vitæ præsens
quibusnā vi-
deatur dele-
ctabilis.

Vitæ præsen-
tia virtuosæ
exitus qua-
lis sit.

Seruitores
vitæ præsen-
tis merces
quam ma-
gest.

Apoca. 21.

Via virtutum
difficilis, quæ
retribuat
mercedem.

licitudine vtendum sit: quæ tamen Dei amor & gratia, atque ipsa hominis bona voluntas temperare solent. In hac ergo via posita est iustitia, Modestia, Continentia, Charitas, Sapientia, cæteræq; virtutes: sed simul cum his paupertas, ignominia, labor, dolor, amaritudines omnes, vt quisquis veris appetat virtutibus ditescere, nihil horum perpeti vereatur: Vt enim Apostolus ait, *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei*. Et: *Omnes qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem patientur*. At quisquis nulli neque labori, neque molestiæ, neque dolori cesserit, sed in hac via Christi Domini auxilio subnixus, constanter perseuerauerit, aut si quandoque nihil contingat aberrare, ad viam redierit, is tandem non ad campos Elysios, quos poetarum fabulæ loquuntur, sed ad æternæ beatitudinis perpetuas mansiones feretur, atque à Deo æquissimo Iudice, & liberalissimo Imperatore suo corona virtutis, & pro laboribus ac doloribus virtutis causa toleratis, summa ac infinita felicitate donabitur. Vbi tum re ipsa experietur quàm verum sit, quod Apostolus plenus spiritu Dei affirmat. *Non sunt indignæ passionibus & afflictionibus huius temporis ad futuram gloriam, qua reuelabitur in nobis*. Et: *Id quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, sed a modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis*. Quid autem mirum est, si pro summis illis ac veris bonis, quæ promisit Deus fidelibus seruis suis, nonnulli labores ac difficultates subeunda sint, quando nihil perit tam vile est in hac vita, cuius obtinendi causa non sit labor, aliquis periturus? Imò vero quid non periculi subeunt amici seculi huius pro rebus quibusdam inanimis? Athletæ, vt pulchrè describit Basilus Magnus, mille supra mille patientes labores, & multis modis robur ac vires sibi comparantes, multumq; in gymniciis sudantes exercitationibus, plures insuper plagas ex prædortibus accipientes, dietamq; non iucundam, sed gymnasticè subeunt, & alia per quam multa sustinentes, tunc demum probè instructi ad stadium procedunt, vbi & laborant rursus & maxime periclitantur, vt oleastri, aut apij, seu cuiusuis alterius frondis coronam accipiant, vt à præcone victores declarentur. Huius simile quiddam scribit venerabilis ille æternæ sapientiæ discipulus Henricus Suso, cuius vita præclaris eximisque virtutibus, atque etiam miraculorum gloria emicuit. Ait enim se circa suæ conuersionis initio vehementi flagrasse desiderio omnipotentis Deo haud vulgariter placendi: sed absque labore & dolore. Accidit deinde vt quodam tempore concionandi gratia foras proficisceretur. Cumq; in nauem sederet, inter alios vidit illic iuuenem quendam sanè strenuum, & forma egregia, & optimis ornatum vestibus. Ad quem sese adiungens, quisiuam esset ex eo sciscitabatur. Respondit ille, se eiusmodi esse hominem, qui nobiles & illustres viros inter se committeret, vt publicis certaminibus congrederentur, hastisq; & id genus ludis palestricis dimicarent: quibus qui præcelleret eum honore affici, ac præmium reportare. Percontante autem viro sancto cuiusmodi id esset præmium, ait ille, Fœminam omnium pulcherrimam anulum aureum eius digito inserere, idq; illius esse præmium. Tum vir sanctus. Quæso, inquit, quid agendum est illi, qui id honoris, & umquæ anulum velit adipisci? Respondit miles: Qui crebriores accipit plagas, acriusq; angitur & premitur, nec tamen animo lassescit, sed sese ge-

Apost. 14.
1. Timot. 3.

Rom. 8.
2. Cor. 4.

Quanta aduersa pro æternis bonis toleranda sunt.

Basilus, athletarum vanorum studia laboresq; quam sint sine fructu.

Henrici Susonis vita quæ virtutibus fuerit eximia.

Paradigma.

rit viriliter, immotusque equo infidet, & duris cadentium ictibus tundi se sinit, is nimirum victoriz palmam recipit. Quid si, ait vir sanctus, primo congressu quispiam strenue se gerat, id ne satis est? Minimè sanè, inquit miles. Certaminis discrimen omne ad extremum vsque sustineat oportet: & si vique adeo immanes excipiat ictus, vt oculi igneas mittant scintillas, sanguisque ex ore & naribus erumpat, id omne ferendum est illi, si laudem referre velit. Rursusque vir sanctus, Licet ne ait lachrymas illi emittere, aut ora frontemque in rugas contrahere, dum ita immaniter pulsatur ac ceditur? Neutiquam, ait miles, etiam si cordis defectum patiat, vt plerisque accidit. Sed alacri ac hilari vultu sit necesse est: alioqui patebit Iudibrio ac derisui, honoreque illo & annulo frustrabitur. His auditis pater ille venerabilis totus animo compunctus, alta imo ex pectore ducens suspiria & grauius ingemiscens ait ad Dominum: Omnipotens æterne Deus, si huius mundi milites pro tam vili præmio, quod in seipso reuera nullius pretij est, tam dira perpeti habent: quam ergo planè dignum æquum & iustum est, vt æterni causa honoris obtinendi maiora acerbioraque perferantur? Nihil igitur, vt dicere cœperam charissimè, admirationis habet, si nonnihil laborandum sit pro æterna vita, quando amentissimi huius seculi, ac stolidissimi hominunciones multa prorsus immania pro vilissimis nugis subire non dubitant nedum præsentis, sed etiam æternæ mortis discrimina. Interim tamen, ne quis animo frangatur, tanquam via virtutum solis intolerandis, nimirumque duris ac impatibilibus sit plena molestijs ac periculis, id pro certissimo habendum est, vt iam ante meminimus, Dominum Deum feruis suis suæ gratiæ aspiratione, sui anterioris dulcedine, alijsq; multis modis ita temperare aduersa omnia vt sæpius nedum æquanimiter, sed etiã hilariter perferantur. Contra verò vitiorum via est blanda omnia promittit, tamen innumeris sui se àtoreis miserijs, afflictionibus, laboribus ac doloribus diuexat, etiam ante quam ad terminum peruenerit: idèq; adeo vt plerique ex ijs adhuc in corpore superstites inferiorum cruciatus ac supplicia in mente & conscientia patiantur, præter externa mala, quibus sæpe multo frequentioribus ac acerbioribus, quam qui virtutum gradiuntur inire, affliguntur, vt iam partim commemorauimus. Vnde etiam quicquid siue hic, siue alibi de asperitate illius viæ, quæ virtutibus assignatur, dictum est, ad illos referendum est, qui à vitijs sese ad virtutes transferre in situunt: quibus in initio certum est laborandum esse, donec ad exterioris inferiorisq; hominis aliquam reformationem, ac passionum edomationem pertingant: qua adeptam, iam ineffabilem potius iucunditatem ac suauitatem, quam asperitatem vllam experientur. Nam si qua præferit eos aduersitas, non solum non dolebunt, sed gaudebunt etiam: quando quidem ea nihil homini expurgato: sed carni tantum nocet. Eam autem premi meritastq; Deo soluere penas lætabuntur, vt pote, quam eeu hostem crudelissimum oderunt. Quod quidem ad virtutem hæroicam pertinet, gaudere videlicet & lætari de omni aduersitate illata corpori & animali nostro inimico quidem acerrimo.

Pro bonis æternis nullis parcendum esse laboribus ac molestijs.

Vita quinam flos amatorum excruciat

Laborandum quantum sit pro reformatione exterioris interiorisq; hominis

Virtutes esse in quadruplici discrimine

Sunt namque virtutes quadrifariæ, nempe Ciuiles vel morales, Purgatoriz, Heroicæ, & Exemplares. In Ciuilibus vel Moralibus, homo laborat: ne

ZZ 4 in pur

Virtutes esse
in quadrupli-
ci discrimi-
ne.

Via virtutum
quibus nã sit
difficilis
principio.

Basilii.

Lactantius.

Psal. 118.

Ibidem.

Psal. 118.

Psal. 118.

Matth. 11.

Quibus nã via
virtutis sit
suavis.

Coloss. 1.

Christũ nos
sequi quo
modo oportet.

Psal. 118.

Matth. 11.

Eccle. 24.

Prov. 1.

in Purgatorijs pr̄ualet: in Heroicis lætatur: in Exemplaribus splendet & diuinitatem consequitur. Itaque in Ciuilibus & Moralibus virtutibus pr̄cipue labor est nulla ferme redemptus delectatione, quæ est in alijs virtutibus melioribus: quanquam Dominus Deus pro sua benignitate etiam nouitijs & qui circa morales versantur virtutes nonnunquam haud mediocre solet dulcedinem instillare, vt fortius perseuerent. Sed tamen, vt diximus, illis potissimum, hoc est, nouis Christi tyronibus, & qui virtutum viam ingredi incipiunt, passim prædicatur arduum esse & difficile ipsarum virtutum iter: quo facit illa D. Basilij sententia: Aspera primo & pene inuis, sudoribusq; cõtinui, ac laborum plena est virtutis via. Quamobrem magna vis exquiritur propter arduitatem illius capeßendæ: nec affectanti facile est ad illius cacumen accedere. Itemq; illa Lactantij Firmiani: Ad supremum boni apicem, non nisi cum summa difficultate ac labore peruenitur. Hęc enim ad inexercitatos magis spectant, quam eos qui iam longe in virtutibus progressi, aut virtutis perfectionem adepti sunt: qui cum Propheta dicunt: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus diuitijs*: Itemq; *Dilexi mandata tua, super aurum & topacium*, Et illud: *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipso: desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum, & dulcora super mel & fauum*. Itemq; *Viam mandatorum tuorum cusarri, cum dilatasti meum*. Quibus nimirum non modo aspera non est virtutum via, sed luxuriosissima, & iugum Domini verè suauis, & onus leue: quibus amor cuncta reddidit facilis, quæ minus amantibus sæpe nimis onerosa & difficilia videntur. Sed iam his ita de vtroque, puta & virtutum, & vitiorum itinere perspectis, cognitisq; quorsum vtraque tendat, studeamus dilectissimi filij illi inhærere viæ, quæ lætissimum habet exitum: eam autem fugere & execrari, cuius finis mors est sempiterna. Namq; hoc pacto expediemus nos ad quod initio vos hortatus sum ab impedimentis illis omnibus, quæ non sinunt nos cum Christo in cælum proficisci: amplectemurq; & comparabimus nobis ea, quæ nos ad superna eleuent.

Si membra summi capitis sumus, si quod fide credimus, animo concupiscimus: si deniq; nõ fallaciter Christi nomine gloriamur, sequamur Christum caput nostrum in cælos ascendentem, quaramus & expetamus ea, quæ sursum sunt, non quæ super terram. Et sicut à Christo nos gaudemus Christianos dici, ita nihil admittamus vnquam, quod tanti nominis gloriam & dignitatem obscuret. En sedet ad Patris dextram gloria & honore coronatus Christus Iesus dux & signifer noster, vt se sequamur summo pereceptat. Dolet nos animi amore & affectu hisce vilitibus coniungi rebus, quos cælestibus mallet ditare bonis. Clamat indefinenter ad nos: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*. Contemnite diabolicas fraudes, quibus implicat vos nequam ille spiritus, ne me sectemini. Transite ad me omnes, & diuitijs meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & fauum. Quæso charissimi obtemperamus vocanti nos Domino, nec obduremus corda nostra, nesi nos illius modo benignitatem contemnimus, quandoq; audire cogamur quod se sui contempnibus dicturum cominatur: *Quia vocauit & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis enim consilium meum, & increpationes meas negastis*. *Et*

Ha. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & sub sannabo cum vobis id quod timebatis, tuerit. Cum irruerit repentina calamitas & interitus quasi tempestas ingruerit: Quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc irascabunt me, & non exaudiam, mane censurans. & non inuenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timore Domini non susceperint. Comedent igitur fructus viae suae, & consilij sui saturabuntur. Quod a nobis auertat clementia Saluatoris nostri Dei. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuunt & regnant, per omnia secula seculorum, Amen.

FERIA II. POST SOLENNITATEM PENTECOSTES Lectio Acto. X.

Aperiens Petrus os suum dixit: Viri fratres, & patres, nobis praecipit Dominus predicare populo & testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo iudex viuorum & mortuorum. Huic omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Ad haec loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificabant Deum. Tunc respondit Petrus. Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos? Et iussit eos baptizari in nomine Domini nostri Iesu Christi.

PARAPHRASIS IN EANDEM LECTIONEM.

Postquam Apostoli receperunt Spiritum sanctum, augebatur quotidie credentium numerus. Nam & Cornelius Centurio cum omni domo & familia sua, vocatisque ad se necessarijs & amicis, ex Ioppe accessit Petrum Apostolum, qui sibi ac suis, iuxta reuelationem per angelum sibi factam, viam annuntiaret salutis. Quod ubi Petrus adueniens esset facturus, aperiens os suum, dixit: Viri fratres & patres, nobis praecipit Dominus predicare populo dicens: Euntes in mundum vniuersum, predicate Euangelium omni creature: & testificari, quia ipse est, qui etiam secundum naturam humanam constitutus est iudex viuorum & mortuorum. Apparens namque post resurrectionem Apostolis Iesus: Data, inquit, est mihi omnis potestas in caelo & in terra. Et ante passionem idem de Patre loquens, dicit: Potestatem dedit ei, id est, Filio Pater & iudicium facere, quia Filius hominis est. Neque enim Pater iudicat quemquam, sed iudicium omne dedit Filio. Huic Christo Domino omnes Prophetae qui eundem praecesserunt, testimonium perhibent hoc, puta, ut omnes qui credunt in ipsum, remissionem accipiant per nomen eius. Hoc, inquit, testimonium adferunt Christo omnes prophetae credentes vniuersos iustificari per nomen eius, hoc est, per fidem & inuocationem nominis eius. Haec ita Petro loquente, interim cecidit, id est, subito venit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, hoc est, super

Astor. 2. 4.

Acto. 9.

Acto. 9.

Marc. 16.

Math. 28.

Ioan. 5.